

E P I L O G U S

sistit in verò sensu inveniendò. Solent autem, quæ multa sunt, faciliùs inventiri, quàm quæ unica: ut experientia docet in singulis rerum generibus.

Tertium, quòd hæc nostra Methodus compendium interpretationi sufficiat in eô, qnòd non necesse fuerit super alicujus loci sensu omnium seculorum locorumque, aut omnium sectarum Theologos & Divini Verbi interpres ac commentatores consulere, illorumque sententias expendere: Sed hâc à nobis assignatâ normâ instructus quilibet propriò marte & Dei mentem vestigare, eruereque, & ab aliis investigatam, erutamque explorare, & num genuina sit indubie dignoscere poterit. Quòd quantum temporis lucratum, quantum laboris ac molestiarum declinatum eatur, neminem fugiet, qui quàm multa, & quàm magna, in S. Codices elucubrata volumina, Christianorum manibus teruntur, considerare voluerit.

Et hæc quidem tria commoda ipsam respiciunt Interpretationem nempe ut tutiùs, ut faciliùs, ut compendiosius expediatur: Sequentia autem, quæ etiam tria sunt, alia concernunt, S. Literarum depravationem scilicet, varias Lectiones, ac denique Translationem seu versionem. Sed singula perlustremus.

Quartum igitur est, quòd nostra hæc interpretandi Methodus, etiam inservire possit deprehendendis Codicum tam Hebræorum, quàm Græcorum mutilationibus ac depravationibus, quorum ferè nulli, si Viro Clarissimo, istarumque rerum peritissimo credimus, ista contigit felicitas, ut non sinistras malevolorum manus passus fuerit, mendisque quàm plurimis contaminatus atque conspurcatus.

Quintum, quòd faciat ad variantes S. Scripturæ lectiones explorandas, & quænam spuriæ, quænam genuinæ sint dignoscendas, quarum uberrima est in utriusque Foederis libris seges, adeò ut in Veteri tantam esse earum copiam & confusionem, ut difficile sit veras à falsis dignoscere, ipsos Rabbinos fateri; & si quis omnes inter se committeret, & excuteret scriptos N. Testamenti codices, quot verba totidem penè esse inventurus discrepantiam, apertis verbis dicere non vereatur idem ille Vir in omni istius Doctrinæ & literarum genere longè versatissimus.

Sextum denique atque ultimum est, quòd nonnihil momenti habeat ad falsas S. Librorum, aut ex vitiatis textibus, aut spuriis lectionibus adornatas translationes deprehendendas iis, qui Linguarum Originalium sunt ignari, easque addiscendi occasione carent. Hujusmodi autem esse posse, imò verò esse versiones, hinc inde in plurimis observati comprobant lapsus.

Atque hæc tria commoda eòdem nituntur fundamentò, eòdemque modò ex nostrâ interpretandi profluunt normâ. Cùm enim nihil non veritati consonum in Scripturis contineatur, nostrâque Methodò illa indubie erui, erutamque esse demonstrari queat, eadem quoque omnis corruptus textus, spuria